



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

Capvt X. Viduas quoque, & Magistratus, & Sacerdotes Deoq[ue]  
consecratos. itemq[ue] Sanctos, & omnes Christianos, præcipuè autem  
Deum esse summo honore prosequendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

CAPVT X.

Viduas quoque, & Magistratus, & sacerdotes Deoq; consecratos, itemq; sanctos, immò & omnes Christianos, præcipuè autem Deum esse summo honore prosequendum.

§. I.

Viduas honorandas, non ledendas esse.

9 **H**onorandæ sunt & viduæ: idq; duas ob causas, quia scilicet à viro liberatæ iam Deo magis feruiunt, & quia viro defensore destitutæ, vbique premuntur, quamobrem auxilio solatioq; egent. De virtute earum multa memorant diuinæ historiæ. Qualis enim fuit Iudith, honestate, pietate, oratione, confidentia in Deum, castitate, fortitudine denique? Vt meritò populus dixerit: *Tu gloria Ierusalem, tu letitia Israël, tu honorificentia populi nostri.* Iudith. 15. Qualis erat Anna Prophetissa filia Phanuel, *quæ non discedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens die ac nocte.* Luc. 2. 37. Qualis illa, de qua legimus: *Vidit autem (Dominus) & quamdam viduam pauperulam mittentem ara minuta duo.* Luc. 2. 2. Et dixit: *Verè dico vobis,*

L.

bis,

- bis, quia vidua haec pauper plus quam omnes  
 misit &c. Maximus honor est à summa lau-  
 dari veritate. Nonnè viduas voluit esse ho-  
 norandas, qui in parabola dixit, viduam*
- Luc. 18. 4.** *fuisse exauditam à iudice quoq; , qui Deum  
 non timebat, & hominem non reuerbatur? Im-  
 mò viduam ipse honorauit obuiam, dum e-  
 ius filium, ad sepulchrum elatum, ad vitam*
- Luc. 7. 13.** *renocauit; quam cùm vidisset Dominus, mise-  
 ricordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.*
- Deuter. 10. 18.** *Immò iam ab antiquo facit iudicium pupillo  
 & viduae, amat peregrinum, & ei victum &  
 vestitum procurat Deus; qui ibidem nos quo-  
 que similia facere iubet. Alio autem in loco*
- Exod. 22. 22.** *ait: Viduae & pupillo non nocebitis. Si la scri-  
 tis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam  
 clamorem eorum, & indignabitur furor meus,  
 percutiamq; vos gladio, & erunt uxores vestrae  
 viduae, & filij vestri pupilli. Qua de causa*
- 1. Tim. 5. 3.** *& Timotheo scribit Apostolus: Viduas ho-  
 nora, qua verè viduae sunt: quia id virtus ea-  
 rum meretur, necessitas exigit. Dixi multa  
 de viduis, in Tractatu de faustis & infaustis  
 matrimonijs. Hic sufficet vel è poëta ap-  
 ponere laudatam à pudicitia viduam Dido-  
 nem, ita enim loquitur:*

Sed

*sacerdotes, &c. honorandos.* 163

*Sed mihi vel tellus optem prius ima dehi-*  
*scat,*

Virgil.  
lib. 4.  
Æneid.

*Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad*  
*umbras,*

*Pallentes umbras Erebi, noctemq<sub>3</sub> profun-*  
*dam:*

*Antè, pudor, quàm te violem; aut tua iu-*  
*ra resoluam,*

*Ille meos primus qui me sibi iunxit, amores*  
*Abstulit: ille habeat secum: seruetq<sub>3</sub> sepul-*  
*chro.*

§. II.

*Cur magistratus sit honorandus?*

10. Quia ars gubernandi ciuitates princi-  
patum tenet in omnibus artibus, meritò, ob  
hanc excellentiam, præcipuè honorandus  
est magistratus, qui est, vt Cic. ait, *lex lo-*  
*quens*, & loco Dei, *Ego dixi, D<sup>3</sup> estis*: certè  
*minister Dei* est magistratus, atque tum ob  
virtutem, tum ob laborem, tum etiam ob  
periculum suum, & commodum communi-  
tatis honore dignus. Equidem & istud mag-  
num est virtutis in principe argumentum, si  
subditi libenter ipsum sequantur. Et sine  
illius prudentia ac diligentia ciuitas esse  
non potest. *Omnino qui Reip. præsumt*, ait  
Tullius, *duo præcepta teneant: unum, ut utili-*

Aristot.  
lib. 1.  
Ethic.

Psal. 82. 11  
Rom. 13.  
& 64.

Cic. lib. 3.  
de legib.

Cic. lib. 1.  
de offic.

L 2

tatem

tatem civium sic tueantur, ut quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum: alterum ut totum corpus Reip. curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Ut enim tutela, sic procuratio Reipub. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. Quam ad rem non solum prudentia, sed & iustitia, & vigilantia, animusq; sibi à nimia cupiditate temperans requiritur. Quin & fortitudo, quia sudandum est ijs, qui magistratum gerunt, pro communibus commodis, adeunda inimicitia, subeunda sepe pro Reipub. tempestates: cum multis audacibus, improbis, nonnumquam etiam potentibus dimicandum. Est itaq; magistratus, erga rebellantes constantia, erga subiectos benevolentia uti. Quæ omnia ferè complexus est Apostolus illis verbis:

Rom. 13. 1, *Omnis anima potestatibus sublimioribus, hoc est, Principibus, & magistratibus (idem enim est potestatibus, quod potestate præditis) subdita sit; in temporalibus potestati civili; in spiritualibus, Prælato, Episcopo, Pontifici. Non est enim potestas, nisi à Deo; eiusq; diuina ordinatione; non à diabolo, quamvis ille mentiendo dicat: Hac omnia tibi dabo: nec à solo homine; sed ab eo, qui dicit,*

Cic. pro  
Sest.

Maeth.  
4. 9.

dicit, *Per me reges regnant.* Est autem pote- Prou. 8.  
 stas Ecclesiastica quidem immediatè à DEO 15.  
 instituta, cum Christus ipse Petrum & Apo-  
 stolos Ecclesiæ præfecerit; civilis autem  
 saltem mediatè, cum natura rectaq; ratio,  
 quæ à solo DEO est, dictet, & hominibus  
 suggerat, vt Reip. magistratus præficient, à  
 quibus regantur. Addit: *Quæ autem sunt,*  
*à Deo ordinata sunt,* vt homines à peccatis  
 retrahant, atque ad iustitiam pacemq; co-  
 lendam impellant. Neque verò ordinatæ  
 sunt tantum apteq; institutæ, verum etiam  
 præceptæ; vt eis resistere nefas sit. Vnde se-  
 quitur: *Itaque qui resistit potestati, Dei ordi-*  
*nationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi*  
*damnationem acquirunt;* tum ab ipsa pote-  
 state temporariam, tum à DEO æternam,  
 vt S. Chrysostomus exponit. E quibus de-  
 ducit D. Augustinus, esse peccatum mortale S. Augusti  
 etiam civili resistere potestati, si nimirum ep. 50.  
 res grauis, & sub graui interminatione præ-  
 cipiatur. Hac enim de causa subiungit:  
*Ideo necessitate subditi estote, non solum propter*  
*iram (seu pœnam; ob quam gladium portat)*  
*sed etiam propter conscientiam, ne ea inobedi-*  
*entiæ rea fiat.* Honorandus est igitur magi-  
 stratus timore, reuerentia, obedientia, ve-  
 L 3 ctigali-

ctigalibus & tributis; denique titulis, sceptris, purpuris, prout cuiusq; gradus exigit.

## §. III.

*Magistratus obedientiâ honorandos.*

Ut autem intelligamus, quorsum hunc honorem adeò inculcet D. Paulus, in memoriam reuocandum est, quod Clement' Alexandrinus, alijque scribunt, tempore Christi & D. Pauli, ob Iudæ, & Galilæorum sectam, quæ diu inter Iudæos viguit, docuitque, pro libertate tuenda omne dominium Cæsaris & vectigal, etiam morte proposita, abnuendum esse (de qua non solum Iosephus, sed etiam Acta Apostolorum meminere,) rumorem quoque & suspicionem ad Christum & Apostolos transiisse, eò quòd ipsi quoque Galilæi & nouarum rerum præcones essent; quasi per Euangelium politias humanas, regna, & Resp. sæculares euerterent; quemadmodum Iudæi omnes Iudam & Galilæos secuti, qui quòd dicerent, populum Dei liberum non debere subijci, & infidelibus Romanis seruire, Romanis defacto rebellauerunt. Qua de causa à Tito excisi sunt. Itaque tunc, cum Christi Ecclesia inciperet innotescere, eadem calumnia, in Christianos, qui origine erant, & habebantur

Clem.

Alex. lib.

4. Strom.

S. August.

in Psal.

118. conc.

31.

Ioseph.

lib. 18.

Antiq.

cap. 1.

Act. 5. 37.

tur pro Iudæis, deriuata est. Eam calum-  
 niam vt abstergeret Christus, iussit dari *Ce-*  
*sari, qua Cesaris sunt, & Petro mandauit, vt* Matth.  
22. 21.  
 didrachma solueret; ac ne apud Romanos,  
 aliosue magistratus Christiana religio in  
 odium vocaretur, Paulus, Apostolique,  
 Principibus dandum esse honorem & tribu-  
 tum, sæpius docuerunt. Qua de caussa eti-  
 am princeps Apostolorum scripsit: *Omnes* 1. Petr. 2.  
*honorate: fraternitatem diligite; Deum timete: 17.*  
*regem honorificate. Serui subditi estote in omni*  
*timore dominis, non tantum bonis, & modestis,*  
*sed etiam dyscolis.* Quoniam igitur & Nero,  
 & Diocletianus, & Domitianus alijq; eius-  
 dem ingenij principes legitimè creati sunt  
 Imperatores, et si tyrannicè imperârint,  
 haud tamen tyranni fuerunt, sed veri Impe-  
 ratores; eaque propter potestatem à Deo  
 acceperunt. Igitur Christiani omnes illis,  
 in conscientia obedire debuerunt; quàm  
 diu Deo nihil aduersum iusserunt, cui utiq;  
*semper magis obedire oportet, quàm hominibus,* Act. 5. 29.  
 qui subinde potestate accepta abutuntur.  
*Non tribuamus, inquit S. Augustinus, dandi* S. August.  
*regni atque Imperij potestatem, nisi Deo vero,* lib. 5. Ci-  
*qui dat felicitatem in regno calorum solis pijs,* uit. c. 21.  
*regnum verò terrenum & pijs, & impijs, sicut*



ei placet, cui nihil iniuste placet. Ac postea:  
 Qui dedit Mario, ipse & Cesari; qui Augusto,  
 ipse & Neroni; qui Vespasiano vel patri, vel fi-  
 lio suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano  
 crudelissimo: & ne per singulos ire necesse sit;  
 qui Constantino Christiano, ipse apostata Iuliano.  
 Omnibus igitur Principibus honor & obe-  
 dientia tribuenda est, quia hæc est ordinatio  
 & præceptum Dei, illique sunt ministri &  
 vicarij illius, qui gladium portant, vt inobe-  
 dientes plectant; immò quia conscientia id  
 dicit, ne coram Deo peccemus, qui refrac-  
 tarijs minatur damnationem longè aliam,  
 quàm magistratus civilis. *Habuerunt, ait*  
*idem S. Pater, Principes sua verba, Occido,*  
*Proscribo, in exilium mitto, sed hæc non possunt*  
*comparari huic: Hic potest corpus & animam*  
*mittere in gehennam, ob id à verbis tuis formi-*  
*davit cor meum.* Hanc subiectionem & obe-  
 dientiam indicant tributa, quæ subditi pen-  
 dunt magistratibus, vt testentur, se eis esse  
 subiectos. Quod Ioseph, quod Maria, im-  
 mò Christus nondum natus fecit. *Exijt edi-*  
*ctum à Cesare Augusto, vt describeretur unuer-*  
*sus orbis. Et ibant omnes, vt profiterentur sin-*  
*guli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph*  
*à Galilæa de ciuitate Nazareth, &c. vt profi-*

S. August.  
 in illud  
 Psal. 118. à  
 verbis  
 tuis for-  
 midavit  
 cor meum.  
 Luc. 2. 1.

profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore  
 pragnante, & Christum in vtero ferente; qui  
 & ipse voluit profiteri, nobisque ostendere  
 modum obediendi magistratibus, qui est  
 optimus modus eundem honorandi.

## §. IV.

*Alij modi, quibus magistratus solent honorari.*

Quamuis & alij sint, de quibus passim  
 historiae meminerunt. Honorantur autem  
 magistratu digni ipsa electione, ipso mu-  
 nere & officio, ipsa solennitate, vt corona-  
 tione, iniectioe pepeli, diadematis, reueren-  
 tia, obedientia, donis. Et quamuis saepe  
 aliquis ampliore dignus esset officio; tamen  
 hoc ipso magis laudatur, si ipse officium ho-  
 noret. Epaminondæ, per inuidiam, & con-  
 tumeliæ gratia, sordidus quidam & contem-  
 ptibilis magistratus à populo Thebano de-  
 legatus est. Eum non aspernatus dixit:  
*Non solùm magistratum ostendere virum, sed  
 virum vicissim ostendere magistratum.* Itaque  
 se gessit, vt idem officium deinceps, tamque  
 honestum munus, à multis ambiretur, cum  
 id nihil fuerit aliud, quàm cura sordes &  
 stercora ex angiportis eijciendi. Inde ergo  
 laudatus est tantò impensius, quia etiam vi-  
 le officium fecit virtute sua diligentiaque

pretiosum. Sape autem ad tribunal, aut fasces euectus debet muneris sui conseruare dignitatem. Fabio Maximo jam sene, filius illius consul factus est, qui cum publicicus multis audientibus habuisset orationem: Fabius conscenso equo præcedebat. Cum autem iuuenis lictorem misisset, qui patrem iuberet equo descendere, alij quidem factum hoc auersati sunt; at Fabius ab equo desiliens, non habita ætatis ratione, accurrit, ac filium complexus: *Euge, inquit, fili, sapi qui intelligas, quibus imperes, & quam magnum magistratum susceperis.* Honorantur denique, præter innumeros alios modos, ij qui in magistratu sunt oblatis donis. De regibus Persarum constat, eos sine munerum oblatione non fuisse salutatos, ac vel aquam caua manu haustam, vel pomum eis fuisse donatum. Salomoni quæ cimelia attulerit regina Saba, historia regum narrat. Et in nouo testamento de Christo Magi aiunt: *Venimus cum muneribus adorare eum.* Digni omnino sunt & donis, & titulis, & obseruatione, & obedientia, quicumque digni sunt magistratu. Vt autem aliquis dignus sit, dicere solebat Agathon, magistratum trium debere meminisse: primùm, *Quod imperet homi-*

3 Reg 10.  
10.

Matth.  
2. 2.

Stobæus  
ser. 43.

hominibus: deinde, *Quòd secundùm leges*: tertio, *Quòd non semper imperet*. Addo ego quartum, *quòd locum Dei teneat*; ita enim & ipse se rectè erga subditos, & subditi se rectè erga illum gerent; cùm ob hanc rationem etiam dyscoli sint venerandi. *Principes, & prelati honorantur*, ait S. Thomas, *etiam si sint mali, in quantum gerunt personam Dei, & communitatis, cui præficiuntur, secundùm illud Prouerb. Sicut qui mittit lapidem, &c. Quia enim gentiles ratiocinationẽ attribuebant Mercurio, acernus Mercurij dicitur cumulus ratiocinij, in quo mercator aliquando mittit unum lapillum loco centum Marcarum: ita etiam honoratur Prelatus, qui ponitur loco Dei, & loco totius communitatis, etiamsi improbus fortasse sit.*

S. Thom.  
2. 2. q. 63  
a. 3.

§. V.

*Tam in veteri, quàm in nouo Testamento sacerdotes fuisse eximie honoratos.*

11. Debetur honos sacerdotibus, religiosis, & omnibus hominibus Deo consecratis. Quia sacerdotes Christum repræsentant; & religiosi hoc ipso honore sunt digni, quia sunt aliquid Deo consecratum; quia ad virtutis perfectionem aspirant; quia honorem fugiunt, sequitur autem honor fugientes

Heb. 5. 6.

entes; quia pro populo orant; quia ab his benedictio; quia sacrificant; quia Dei sunt familiares; quia de reliquis sunt electi; quia à Deo ipso honorantur. *Facies quodcumq; dixerint, qui presunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te, iuxta legem eius; sequerisq; sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel.*

In noua etiam lege ait Apostolus: *Qui bene presunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime, qui laborant in verbo & doctrina.* Vbi nomine honoris, non tantum reuerentia, verum etiam alimonia est intelligenda; quia mox ipse Paulus exponit, de quo honore loquatur: *Non infranabis os boni trituranti, & dignus est operarius mercede sua.* Ait autem, *duplici honore*, vel quia & reuerentia, & alimonia digni sunt, ut vult D. Ambrosius; vel quia, ut exponit D. Chrysostomus, *duplici*, hoc est, multiplici copiosoq; honore digni habentur. Ita enim alibi dicitur: *duplici contritione contere eos: omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus*, hoc est, multas & copiosas habent vestes. Atq;

in

Leuit. 7.

9.

Num. 6.

24.

Deuter.

17.10.

1. Tim. 5.

17.

Jerem. 17.

18.

Prou. 31.

21.

in primis magnus est honor, Deo sacrari. Sunt huius rei apud sacros & profanos exempla. Nam, teste Sorano, Herculem & Hippocratem Coum Athenienses, ob præclara merita, publicè Eleusinijs sacris initiarunt, quod decus nulli ante illos contigit. Demetrius quoque, vt Diodorus refert, Poliorcetes dictus, Athenis commorans initiari cupiebat, & Eleusinijs sacris imbui. Cùmq; abesset satis diu legitima dies, in qua soliti erant Athenienses sacra illa celebrare, persuasit populo, vt propter beneficia sua, patrium morem mutarent. Igitur se ipsum inermem sacerdotibus tradidit, & ante statum diem initiatus est. Quod quidem, vt Suidas scribit, peculiare ei, præter ceteros, contigit, vt solus & initiaretur simul, & arcana intueretur, & præfixitum tempus à maioribus non obseruaret. In veteri testamento capita familiarum earumdem erant sacerdotes. Ius enim sacerdotij tunc per ordinē nascentium ad posteros, nimirum in primogenitos & in capita familiarum deuoluebatur. Vnde & Abraham, tamquam totius familiæ suæ omniumque duodecim tribuum pater & patriarcha, earumdem simul summus sacerdos & pontifex

Soran. in  
vita Hip-  
pocratis,

Diodorus  
lib. 20.

tifex fuit. Itaque omne sacerdotium Hebræorum descendit ab Abrahamo. Quamuis autem singuli filij Iacob poterant esse tribuum suarum sacerdotes; voluit tamen Deus, ut ex omnibus vnus conflaretur populus, & vna Ecclesia fieret: vnde & statuit, ut vna familia, scilicet Leui & Aaronis, pro reliquis omnibus hoc sacerdotio fungeretur. Quantum autem honorata fuerit præ reliquis familia Leui, constat è diuinis litteris.

## §. VI.

*Varij sacerdotum honores.*

Primùm ornabantur veste & insignibus sacerdotalibus. Quod etiam apud profanas gentes in more positum, testatur Herodotus. Ægyptij sacerdotes lineis vestibus induebantur, *non solum intrinsecus, sed etiam extrinsecus*, ait S. Hieronymus. Apud Romanos virgines Vestales, alba quidem veste, more communi, sed discriminis causa, limbo punicante utebantur, qui ornatus etiam sacerdotis & magistratus erat, ut docet Lipsius. Peculiaris quoque habitus erat ijs, qui sacris præfuerunt, tam apud Indos orientales, quàm occidentales. Sed præcipuè eminebat amictus Aaronis; & asper cultus

Herodot.  
lib. 5.

S. Hieronym.  
ad  
cap. 48.  
Ezech.

Lipsius  
Syntag.  
de Vesta.  
lib. 6. 12.

cultus Eliæ, Ioannis Baptistæ & reliquorū  
Prophetarum. Integro quoq; libro descri-  
psit monachorum vestimenta *Cassianus*, vbi  
*Zonas, cucullos, colobia, rebrachiatoria, Ma-*  
*fortes, Melotes, & calceamenta* oculis subij-  
cit. Deinde hominum Deo sacrorum ha-  
bitus *venerandus* & erat, & à Patribus voca-  
batur; quin & *Angelicus*. Quin tertio &  
Athenæus affirmat, solenne olim Græcis  
fuisse, vestes eorum tangere, præ reueren-  
tia, quos proximè Deo venerabantur.  
Quarto, vt olim S. Petri vmbra, & S. Pauli  
sudaria ægris sanitatem contulerunt, & ipsa  
quoq; simbria Christi sanguinem mulieri  
stitit; ita quoq; sæpe aliorum etiam Deo de-  
dicatorum vestimenta honorata prodigijs  
claruerunt. Theodosius Imperator Maximo  
Tyranno bellum moturus Senuphij Mona-  
chi superhumerali caput, baculoque illius  
manum muniuit, Deo in vota vocato, ho-  
stibus iam in vicino stantibus, ipse primus in  
acie exercitum duxit. Quàm primum eum  
aspexere barbari, haud secus atq; è cælesti-  
bus vnum admirati, in fugam conuersi sunt.  
Ita Imperator reclus & sine sanguine, & si-  
ne labore potitus est victoria. Quinto, adeò  
vestes Deo seruientium in honore debent  
esse,

*Cassian.*

*Act. 5. 15.*

*Act. 19. 12.*

*Matth. 9.*

*20.*



esse, vt si quid contumeliosius tractentur, vel diuinitus adsit vindicta. Qua de caussa Saluianus Massiliensis scribit Africanam prouinciam à barbaris affligi commeruisse, quòd Religiosorum habitum ludibrijs ac sannis insectati fuissent. Sextò, si vestes horum hominum honorandæ, quantò magis ipsi? itaque vel coronam etiam in capite gerunt sacerdotes, ex ordinatione Apostolorum, ad exemplum S. Petri, non solùm, vt representent coronam spineam Christi, & opprobrium S. Petri, aliorumq; Apostolorum; verùm etiam, vt regius illorum honor, & cælestis gloriæ corona, quam expectant, significetur. Septimò, muneribus & decimis honorandi sunt sacerdotes, quippe & Melchisedeco regi Salem, sacerdoti Dei summi, *decimas omnium diuisit Abraham. Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de precipuis Abraham patriarcha.* Postea de filijs Leui sacerdotum accipientes mandatum habent decimas sumere à populo secundùm legem, id est, à fratribus suis, ceteris Iudæis, eodem Abraham & Iacob genitis, in signum eminentiæ. Populus proinde à sacerdotibus, quibus decimas dat, benedictionem accipit, quemadmodum & Melchisedec Abrahamo bene-

Saluian.  
lib. 8. de  
vero iudi-  
cio,

Beda lib.  
5 hist.  
Angl.  
cap. 22.

Greg. Tu-  
ron lib.  
de gloria  
confessor.  
cap. 28.

Hebr. 7.  
3. & 4.

Hebr 7. 3

*benedixit: vti & illi accipiunt maledictionem, qui sacratu Deo hominibus, non modo non dant, sed auferunt, quod habent. Hinc Abraham fuit victoriosus, qui ita erat constitutus, vt vellet Melchisedecum prædæ quoque suæ facere participem. Octauò mulieres iubentur caput velare, seu obnubere, propter Angelos, hoc est viros bonos, vt vult Clemens, aut propter sacerdotes & episcopos, vt vult S. Anselmus & S. Thomas, qui in Apocalypsi Angeli vocantur; ne scilicet eos formâ suâ offendant. Quare putat Clemens præcipi, non tantum vt caput tegant in templo mulieres, sed vt etiã frontem & vultum velamine inumbrent. Cui profus contrarium faciunt nostrates puellæ, vtinam non & matronæ, quæ & vultum, & pectus, fere etiam vbera denudant, vt in templo oculos papillis venari, ac se se mammis ipsis prostituere videantur. Nonò ipsis & barbaris & hostibus venerabiles fuerunt, Sacerdotes, & Pontifices, qui vel precibus, vel autoritate eos à direptione urbium, & necesse populorum absterruerunt. Exempla aliquot ascribam.*

1. Cor. 11;  
10.  
Clem.  
lib. 2. Hy-  
potyp.  
S. Ansel.  
& S. Tho-  
mas, ib.  
Apoc. 2;

§. VII.

*Hostium erga sacerdotes reuerentia.*

*M*

*Leo*

Platina in  
 Leone. &  
 Sab. lib. j.  
 En, 8.

Leo III. p. p. Attilam Gothorum Regem, ad  
 Urbis direptionem properantem, cum altero con-  
 sulum & parte senatus non modica ei occurrente  
 ita flexit, ut prater omnium expectationem,  
 & exercitus sui voluntatem, Vrbi parceret.  
 Idem post Vandalorum regem Gensericum  
 crudelissimum Tyrannum ad Urbem vocatum  
 ab Eudoxia, in ultionem perempti coniugis Va-  
 lentiniani, ita demulsit, ut spolijs & direptionibus  
 contentus, à cadibus & incendijs abstineret. Se-  
 uerinus monachus Afer, qui apud Noricos &  
 Vindelicos Christum predicauit, post mortem At-  
 tila, cum Hibuldus Alemannorum Rex cum  
 exercitu Bataniam properaret, specie visendi Se-  
 uerini, reuera autem occupanda urbis, obviam  
 Regi processit: eumque authoritate sua permouit,  
 ut ab incepto desisteret. Paruit ei Rex barbarus,  
 & captiuos omnes Romanis remisit. Ad eum-  
 quoque Odacer Rugorum regulus venerabun-  
 dus venit, cui Italia regnum pradixit, & Ro-  
 ma excidium. Epiphanius episcopus Ticinensis  
 tanta fuit authoritate apud hostes, ut cum  
 Theodoricus Gothorum rex, capto Ticino, pra-  
 sidium imposuisset, barbari milites eum patrii lo-  
 co venerarentur: & vrbe egredientes ei cum lac-  
 chrymis valedicerent. Praterea capto ab Oda-  
 cero rege Hernulorum Ticino, à victore rege ciuibus  
 suis

Fris-  
 gnefs lib.  
 4. c. 30. &  
 Eugypius

Euodius  
 in eius vi-  
 ta.

suis fiscalium tributorum immunitatem impetrauit ad annos quinque. A Theodorico durissima legis in omnes, quotquot sponte se hostibus Herulis coniunxerant, lata relaxationem impetrauit. Ad Gundebaudum regem Gallia Lugdunum à Theodorico missus pro captiuis redimendis, sex millia Ligurno sine pretio, precibus tantum & pietate sibi donatos, patria restituit. Diui Remigij Rhemensis Episcopi tanta fuit etiam apud hostes authoritas, ut Alaricus Gothus rex Ariannus apud eum pro puella cuiusdam sui amici demoniaca intercederet: & Clodoueus Rex Gallorum adhuc paganus cum toto exercitu eum veneraretur. Nam cum miles quidam urnam ex Rhemensi Ecclesia abstulisset, ad preces Remigij Rex eam reddi iussit: cumq; alter non statim paruisset, supplicium propria manu de eo sumpsit. Tantus honos habetur pietati, apud barbaros: ut proinde ipsos barbarie barbaros vincant, qui Dei seruos nesciunt honorare; immò audent digitis, & velut Apula canis, linguis quoque, ciconijsque ridendos propinare.

Hincmarus in vita Remigij.

§. VIII.

*Honor Sanctis debitus, & habitus.*

12. Honor, veneratio & cultus debetur etiam Sanctis vitâ seu fruuentibus, seu fun-

etis. Si viuunt adhuc, multa, immò ferè pleraque illis conueniunt, cum hominibus Deo sacratis. Quo pacto Melitenses magnis obseruantia signis titulisque Paulum cum socijs persecuti sunt, quin & muneribus eum, & propter eum comites quoque eius

**AA. 28. 10.** honorauerunt. *Qui multis honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus imposuerunt, quae necessaria erant, ait. Vbi honorum, & honorandi verbum, pro diuitijs ac ditando, phrasi*

**Prou. 9.** Scripturæ, accipitur, sicut cùm dicitur, *Nolles alienis honorem tuum,* hoc est, facultates tuas. Mirum est autem, Paulum eum honorem, hoc est, comitatum admisisse. Sed non admisit mercedis loco, qui adeò abhorrebat à necessario quoque victu, quem alij deferrent, malens manibus ipse suis, quin & labore ac sudore comparare. Cur igitur admisit? Vincto & in itinere maritimo non licuit laborare. Cur admisit? Melitensium liberalitas & gratitudo adeò erat vehemens, importuna, & quodammodo violenta, vt non posset eum honorem repudiare. Cur admisit? itineris comites, quibus in eius gratiam benignè fiebat à Melitensibus, noluit fraudare hoc emolumento. Cur admisit? quia, sicut aliàs, vidit in se

Christum

Christum honorari, & Euangelium, uti  
 quando *super languidos* deferebantur à corpo- **Act. 19. 12**  
*re eius sudaria, vel semicinctia, & recedebant*  
*ab eis languores, & spiritus nequam egredie-*  
*bantur.* Vique aded reliquiae etiam tum ma-  
 gni fiebant, ut vel sudariola, quibus sudo-  
 rem abstergebat, vel semicinctia, seu peri-  
 zomata, quibus se medium cingebat, ad ca-  
 uendas & arcendas e vestibus sordes, cum  
 in officio versaretur scenofactoriam exer-  
 cens. Ad quem modum caligula Honora-  
 ticadaueri admota, illud ad vitam excitauit,  
 teste S. Gregorio, eam enim Libertinus, qui **S. Greg.**  
 admouit, ob tanti Abbatis reuerentiam ge- **lib. 1. Di-**  
 stabat semper in sinu. Quia igitur Deus in **alog. c. 2.**  
 sanctorum suorum honoribus honoratur, **Ioan. 14.**  
 promisit Christus, discipulos suos operibus **12.**  
 suis maiora facturos. Itaque prodit S. Au- **S. Augu-**  
 gustinus ipsorum languentium atque mor- **stin. lib.**  
 tuorum relata post sanctarum contactum **22. de ci-**  
 reliquiarum vestimenta, sanitatem utram- **uit. c. 8.**  
 que attulisse; immo & flores. De puluere,  
 ac situ sepulchrorum, de oleo lampadarum,  
 & lychnorum ad illa suspensorum, de ma-  
 nuali aqua, pedumque ablutorum, & simi-  
 libus, tam multa sunt in historijs & Patrum **Vide Bel-**  
 scriptis testimonia, ut qui dubitet, merito **larmin.**

lib. 2. de- nihil omnino credere videatur, & per  
 adorat. naciō sit spiritibus nequam, qui Apōsto  
 Gabr. semicinctia & sudaria ferre non valentes  
 Vasques eorum potentiam experti, ab obsessis vel in  
 lib. 3. de eorum potentiam experti, ab obsessis vel in  
 adorat. uiti egressi sunt. Rectè igitur hinc cultus  
 Baron. in Sanctorum, & sanctarum reliquiarum de  
 Notis ducitur. Quòd si enim Deus ipse Sanctos  
 Martyrol. suos, eorumque Reliquias miraculis hono  
 15. Iunij. rat, quis tam superbus erit, ut non & ipse  
 eos velit honorare?

## §. IX.

*Sancti nomine honorati, & alijs modis  
 culti.*

Sabelli-  
 cus lib. 6.  
 c. 3.

Et quidem in viuis adhuc degentes fuisse  
 æstimatos atque honoribus ornatos, etiam  
 nomina ostendunt, quæ eis, ob pietatem  
 homines imposuerunt. Mirum est, quod de  
 Iacobo minore Christi discipulo proditur  
 memoriæ, quia puer adhuc incredibili,  
 supra ætatem magna sanctitatis opinio  
 imbuit omnium mentes, vnde *Sanctus* vulgè  
 appellatus est. Auxit opinionem hanc de  
 receptam summa vitæ austeritas. Enimu  
 rò neque vinum bibit vñquam, neque  
 lum carnis nouit vsum; intonsus vixit, ve  
 guenti & balnei expertus: adeò precando No  
 mini deditus, ut eius genua in camelorum  
 speciebus

speciem occalluerint. Sic Gallus adhuc vivus *Sancti* cognomen meruit, ob pietatem. Et Bonfinius est author, D. Germano à Gal- **Bonfinius**  
 lis nō solūm in morte, verūm etiam in vita **l. 4. dec. 1.**  
 velut sancto magnos honores exhibitos: quod sanctissimam vitam duxisset, hæreses extirpasset, & miserrimis Hunnorum temporibus consilio & precibus Gallis & Britannis mirabili adiumento fuisset. Sic prisca Patres, vt videre est in epistolis S. Augustini, cūm ad se se mutuò epistolas missitarent, non solūm, ob officium, verūm etiam, ob mores se se mutuò *Sanctos* appellauerunt. Quod & tempore Apostoli factum est, ita enim scribit: *Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum & sororem eius, & Olympiadem, &* **Rom. 16.**  
*omnes, qui cum eis sunt Sanctos.* Christianos enim quasi sanctos & recipi, & saluari oportere iudicabat. Ita salutabat, recipiebat, consulebat *Sanctos* prisca ætas, in exemplum saeculi deterioris, ab ijs, qui veritatem dicere audent, abhorrentis. **Fulgos.**  
*Franciscus Paule Eremita, vir natione Calaber, à decimo tertio lib. 2. c. 51*  
*anno vsque ad sexagesimum Eremiticam egit vitam, obsonio nullo cibos suos molliente. Missis igitur à Ludouico undecimo Gallorum rege, ad Ferdinandum seniore Neapolitanum regem.*



oratoribus, qui precibus multis hoc peterent: vix tandem Sixto IV. Papa ita iubente, adduci Franciscus potuit, ut in Galliam ad Ludovicum se conferret: a quo per omne regnum, quo iter habuit, premissis sacris, ceu si Cardinalis cum legationis honore illuc tenderet, exceptus fuit: quamquam litterarum expertus esset, ab eo Rege eiusq; filio Carolo VIII. consilijs de magnis rebus adhibebatur, sententiq; eius praeferabatur: Alexandroq; VI. Pontifice hoc praeunte, Princeps quinta regula factus fuit, quae postea ab eo nomen accepit. Hieremias Propheta in tanta fuit existimatione etiam apud hostes Babylonios, ut ex regis Nabuchodonosoris iussu Nabuzardan magister equitum eum magnis praemijs Babylonem pellicere voluerit, quem alioquin tamquam captivum abducere poterat. At cum apud reliquias Iudaeorum manere vellet, liberum hoc ei permittit, eiq; Baruch scribam discipulum adiunxit, & amplis muneribus ornauit. Esdras inter homines Hebraici sanguinis in Assyria agentes prudentissimus, qui Mosaicas leges vel hominum incuria, vel iniuria temporum propemodum deperditas, quia omnia memoria teneret, litterarum monumentis restituit, ob celebrem sapientiae & sanctitatis

Ioseph.  
lib. 10. c. 9.  
Antiq.

Sab lib. 3.  
Enc. 3.

tatis famam, regi Xerxi non ignotus, facile ab eo impetrauit, vt ex Babylone populares suos secum migrare volentes in Palæstinam deduceret.

§. X.

*Canonizatione culti Sancti.*

Longè autem maior honoris gradus debetur ijs, qui post mortem in numerum Sanctorum sunt relati, neque amplius excidere possunt. Non quòd eos vt Deos adoremus, sed vt tamquam amicos Dei debito cultu, quem duliam vocamus, veneremur. Apud Plinium, vt mortales bene meriti inter deos referantur, mos est adeò vetus, vt pænè nihil sit eo antiquius. *Hic est vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, inquit, vt tales numinibus ascribantur.* Ad hunc errorem corrigendum, atque in ritum meliorem mutandū, ab Ecclesia instituta est *canonizatio Sanctorum.* Hinc Pontifices Romani, ad memoriam martyrum, annua festa & sacra instituerunt, quod aliud non fuit, nisi testari, eos fuisse sanctos. *Verùm postremò, vt ne vnusquisq; arbitrato suo hunc vel illum pro diuo haberet, coleretq; Alexander III. statuit, vt nulli mortalium talis in terris honor haberetur publicè, nisi illi, qui prius*

Plin. lib.  
2, cap. 7.

*ex edicto Apostolico in diuorum esset catalogum ascriptus. Hoc decretum inter decretales epistolas, in titulo de reliquijs Sanctorum scriptum.*

Ritius l. 3.  
Platina.  
Bonfin.  
h. 1. Dec. 2.

*leges. Ad hunc modum, inquisitione diligenter facta in vitam & miracula, relati sunt in numerum Sanctorum Dominicus Anno 53. Imperij Alphonsi: Franciscus à Gregorio IX. vti & Elisabetha regis Hungariæ filia: Clara ab Alexandro IV. Stephanus & Ladislaus Vngariæ reges, Stanislaus Cracouiensis Episcopus, & alij ab alijs. A Ioanne XXIII. Thomas Herfordensis Episcopus, & Thomas de Aquino: Bonauentura à Sixto IV. Bernardinus Senensis à Nicolao V. Vincentius à Callisto III. vti & Edmundus Anglicus: Nicolaus Tolentinas ab Eugenio IV. Benno ab Hadriano VI. & ne numerus fiat sine numero, Ignatius Loyola, & Franciscus Xauerius, cum Philippo Nerio, Isidoro, & Theresia, à Gregorio XV. Quæ consecratio Pontificis totius Ecclesiæ approbatione facta, tantò plurius facienda est, quia neque Pontifex tamquam caput Ecclesiæ, publica authoritate aliquid decernens, neque tota Ecclesia aliquid credens, aut credendum proponens, errare potest.*

## §. XI.

*Varijs modis, sed maxime inuocatione Sanctos  
honerari.*

Hanc consecrationem alij deinde, atque Sabelli  
alij sequuntur honores, imagines, aræ, ora- l. 10, c. 14.  
toria, sacella, templa, festi & solennes dies,  
ieiunia, vigiliæ, & omnifariâ factæ ceremo-  
niæ, quas Christo regi, & sacratissimæ eius  
militiæ decernit humana pietas; quæ tantò  
sunt ceteris honoribus, qui in terris decer-  
nuntur, maiores sanctioresque, quantò san-  
ctior illorum fuit vita, quàm reliquorum  
hominum, qui omni æu floruerunt. Tem-  
pla Sanctis erecta, testantur Romæ Basili-  
ca D. Petro in Vaticano & Ostiensi via, &  
altera D. Paulo, vtraque immani amplitu-  
dine & apparatu visendo consecrata, item-  
que tertia Lateranensis Ioanni Baptistæ; &  
quarta Pantheon antea dicta, postea DE I  
Matri Mariæ, aliæque alijs Diuis, & Ro-  
mæ, & vbique gentium & terrarum dedi-  
cata. Neque sanè festa Sanctorum aliò re-  
spiciunt, quàm vt ijs diebus præcipua qua-  
dam veneratione colantur, enimuerò, vt  
tamquam patroni & aduocati nostri inuo-  
centur. Quod à nobis faciendum esse, an-  
tiqui PP. Nectarius, Ephræm, Nazianze-  
rus,

nus, Nyssenus, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, & posteri omnes suo exemplo docuerunt; quem cultum Ecclesia & usu, & doctrina semper approbavit; nec sine insigni fructu. Quot enim & quanti, per huius, aut illius Sancti inuocationem & patrocinium iam morbos corporis; iam animi molestias ac tentationes; iam lumen intellectus; iam donum sobrietatis vel castitatis impetrauerunt? Pendent in templis anathemata; loquuntur tabellæ; nos ipsi quot vidimus, audiuius, Sanctorum ope, è flammis & fluminibus, è peste, è carcere ereptos? vt negare experientias tam claras, sit lumen solis meridiani velle extinguere. Certè inuocari Sanctos in hac vita existentes & piè, & vtiliter, ostendit D. Paulus, quando scripsit: *Orationi instate, orantes simul & pro nobis: iterumq;: Fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos.* Quod si Sanctos licet inuocare in hac vita existentes, idq; & pium, & vtile est, & fit exemplo Pauli, cur non liceat, & vtile sit, inuocare item & Sanctos cum Christo regnantes? aut cur eorum oratio sit minùs efficax, quàm eorum, qui adhuc in hac vita peccare, & Deum offendere possunt?

Coloss. 4.

2.

2. Theff.

3. 1i

*mul & pro nobis: iterumq;: Fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos.* Quod si Sanctos licet inuocare in hac vita existentes, idq; & pium, & vtile est, & fit exemplo Pauli, cur non liceat, & vtile sit, inuocare item & Sanctos cum Christo regnantes? aut cur eorum oratio sit minùs efficax, quàm eorum, qui adhuc in hac vita peccare, & Deum offendere possunt?

sunt? Orare autem & defunctos pro viuis, ostensum est Machabæo. *Erat autem huiusmodi visus: Oniam qui fuerat summus sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum: Post hoc apparuisse & alium virum, etate, & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum: Respondentem verò Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, & vniversa sancta ciuitate, Ieremias propheta Dei. Extendisse autem Ieremiam dexteram, & dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem: Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deicies aduersarios populi mei Israël. Potuit Onias, potuit Ieremias orare pro populo, cur alij non possunt? Hanc opinionem communem fuisse, apud Iudæos, etiam Christi tempore, illa confirmant, quòd, cùm Seruator noster in cruce clamaret: *Eli, Eli, lamma Sabæthani, quidam illic stantes & audientes, vti que ex consuetudine inuocandi sanctos, dicerent: Eliam vocat iste, itemque, sine, videamus an veniat Elias liberans eum.* Non dixerunt, quid Eliam vocat? Elias non audit, gratis*

2. Mach.  
15. 12.

Matth.  
27. 46.

gratis ergo eum vocat: nec dixerunt, Elias non potest eum liberare; sed, *videamus, an veniat Elias, & liberet eum.* Crediderunt ergo, eum, si vellet, posse; an autem liberaturus esset, dubij fuerunt. Inuocemus igitur & nos quotidie Sanctos in cælo existentes, dicamusq; *S. Maria, ora pro nobis: S. Michael, ora pro nobis: S. Ioannes Baptista, ora pro nobis: S. Petre, ora pro nobis: omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis &c.* Ita honoramus, quos inuocamus, tamquã potentes succurrere.

## §. XII.

*Contra inuocationem Sanctorum quàm infirma argumenta afferantur?*

Neque sanè hic honor Sanctis exhibitus, est Deo iniuriosus. Si enim S. Paulus Deo non intulit iniuriam, quando Sanctis in terra scripsit: *orationi instantes, orantes simul & pro nobis;* cur iniuriam inferat is, qui Sanctis in cælo existentibus dicit: *orate pro nobis?* At Deus vult solus adorari? quid tum? an inde conficitur; Ergo non licet inuocare Sanctos in cælo? Si hoc rectè colligitur, rectè etiam colligetur: Ergo non licet inuocare Sanctos in terra. Atqui hos licet cum Paulo, ergo & illos licet inuocare. Neq; re-  
ctius

Coloss.  
4. 2.

Etiam argumentantur, qui sic argumentantur: Solus Christus est Mediator; Ergo non licet inuocare Sanctos in cælo: quàm qui sic inferunt: Solus Christus est Mediator; Ergo non licet inuocare Sanctos in terra. Quicumque ergo hoc telum esse infirmum, dicunt, ne Paulum videantur velle sauciare; fateantur etiam prius esse infirmum, quia ex eodem modulo prodit. Pari pacto, si signum est, nos diffidere Deo & Christo, quando confugimus ad Sanctos in cælo triumphantes, erit etiam signum diffidentiae in Paulo, & in alijs, quando inuocant Sanctos in terra militantes, & dicunt: *Fratres 2. Thesal. orate pro nobis.* Neq; putare debet quisquam <sup>3. 1.</sup> Sanctos frustra inuocari atque sine fructu, quasi illi, qui in cælo sunt, non audiant preces nostras, neque sciant, quid hîc apud nos geratur. Si enim Sancti adhuc in hac vita possunt, Deo reuelante, cognoscere arcana aliorum consilia & molitiones, quæ admodum Samuel cognouit omnia, quæ erant in corde Saulis; & Elisæus sciuit omnia, quæ à famulo absente erant perpetrata, itemq; omnia secreta consilia regis Syriæ; ac Daniel occultum somnium Nabuchodonosoris atq; interpretationem illius:

Petrus



1. Reg. 9. Petrus quoque occultam fraudem Ananiae  
 19. & Saphiræ; & quicumque Spiritu Prophe-  
 4. Reg. 5, tico abscondita & futura prædixerant; cur  
 26. non in cælo, immò & in Limbo SS.PP. pos-  
 4. Reg. 6. set idem Deus beatis animabus similia reue-  
 9. lare? Hoc tamen discrimen esse facile crea-  
 Dan. 2, do, quòd beati plus videant, eaq; maxi-  
 26. mè, quæ ad illos pertinent, aut quæ desi-  
 Act. 5, 1. derant scire & videre; quàm Patres, qui o-  
 lim adhuc in Limbo, & umbra mortis exti-  
 terunt; multoq; minùs sciunt illi, qui in in-  
 ferno etiam hac ignorantia cruciantur. At-  
 que de his intelliguntur illa, quæ malè intel-  
 ligunt, qui Sanctos habere patronos nolunt:  
 Eccles. vt cùm dicitur: *Viuentes sciunt, se esse moritu-  
 9. 5. ros: mortui verò nihil nouerunt amplius: item:  
 Job. 14. 21. siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non  
 intelliget, de nostris scilicet rebus, quæ apud  
 nos aguntur; &, nisi illis reueletur: nam  
 utique animæ damnatorum sciunt; se esse  
 damnatas; & animæ beatorum sciunt, se  
 esse beatas; animæ autem in Limbo PP. ex-  
 istentes, sciuerunt Messiam venturum; &  
 anima Abrahami insuper sciuit, quid di-  
 ues in inferno peteret; quin & ipsa damna-  
 ta diuitis epulonis anima sciuit adhuc se ha-  
 bere in viuis quinq; fratres, pro quibus ora-  
 uit.*

uit. Quod autem dicitur: *Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos*, intelligitur de Abrahamo, tempore veteris testamenti, adhuc existente in Limbo PP. vbi sine peculiari reuelatione vtique nihil scire potuit eorum, quæ in terris gererentur; alia ratio est nunc, tempore noui testamenti, de eodem iam inter beatos in cælo degente, & de alijs Sanctis, qui in beatifica visione, & Deo, omnia vident, quæ desiderant videre. Itaque sine formidine eos possumus inuocare, facile intelligunt, etsi à nobis procul distent, quæ ad eos vel loquendo, vel cogitando mittimus. Sic eos, & in illis Deum honoramus: est enim, vt S. Thomas docet, inuocare nihil aliud, quàm aliquem in se vocare, per affectum, & deuotum cultum: quod vt fieret, voluit Deus, qui voluit Sanctis etiam huac honorem tribuere, vt fineret eos secundarios apud se esse aduocatos; non quasi Christus non sufficeret, sed quòd Christo ipsi quoque honorificum esset, si ad eum, eiusq; Patrem tales legatos mitteremus, quibus ipse vim impetrandi & meruisset, & honoris causa contulisset.

*Isa. 63. 16.*

S. Thom.  
in ep. ad  
Rom. cap.  
10. lect. 2.

§. XIII.

*Omnes honorandos esse.*

N

13. D.

1 Petr. 2.  
17.  
Rom. 12.  
10.

S. Ambr.  
serm. 6.

Philip. 2.  
3.

13. D. Petrus deniq; quasi in compendio scribit: *Omnes honorate*; & S. Paulus iubet nos esse *honore inuicem praeuenientes*; sed praemittit, *charitate fraternitatis inuicem diligentia*, hoc est, *φιλαδελφία*, seu charitate fraterna. Quia omnes vnum patrem habemus **DIVM**, omnes in Christo fratres sumus; omnibus ergo honorem, & charitatem fraternam debemus, tantoq; magis, quanto fraternitas spiritualis perfectior est carnali. ait S. Ambrosius. Ad hunc honorem & amorem promouendum primitiuae Ecclesiae Christiani se se omnes vocabant mutuò *fratres*, tamquam ex eodem patre Christo, atq; eadem matre Ecclesia oriundi. Nec satis est honorare fratres, sed honore etiam praeueniendi sunt, vt quodammodo, dum certamus, quis alterū anteuertat, amorem tantò maiorem excitemus; sic subditus debet superiorem praeuenire; & non est indecens, vt etiam superior praeueniat inferiorē, tantoque se magis demittat, exemplo Christi, quantò ipse maior est; enimuerò potest & debet superior ipsum quoq; inferiorem suum tamquam superiorem honorare, si in eo Christum agnoscat; & non sua, sed alterius bonā consideret. Vnde Apostolus ait: *in humilitate*

*militate superiores sibi inuicem arbitantes, non  
 qua sua sunt singuli considerantes, sed ea, qua a-  
 liorum. Ne, dum alter alteri se humiliat, in-* S. Gregi  
*quit S. Gregorius, humiliatio iret alteri in ela-* l. 17. Me-  
*tionem, bene utramque partem admonuit di-* ral. c. 17.  
*cens: Superiores sibi inuicem arbitantes, ut in-  
 cogitationibus cordis, & ego mihi illum prafe-  
 ram, & vicissim ille me sibi: ut cum utraq; parte  
 cor inferius premitur, nullus ex impenso honore  
 subleuetur. Hinc intelligitur, quàm indig-  
 num sit facinus, contemnere illum, quem  
 obligatus es honorare. Meritoque par pari  
 refertur, & qui malè dicit, malè audit; ut  
 eandem mensuram recipiat, qui mala men-  
 sura est vsus. *Vae, qui spernis, nonne & ipse sper-* Isa. 33. 18  
*nèris? cum fatigatus desieris contemnere, con-*  
*temnèris. Ita factum est ancillæ Agar, quæ,* Gen. 16.  
*quia concepisse se videns despexit dominā suam,*  
*postea humiliata est sub manu illius. Ita Michol* 2. Reg. 6.  
*filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem* 16.  
*David subsilientem, atque saltantem coram Do-*  
*mino, & despexit eum in corde suo. Ideò Michol*  
*filia Saul non est natus filius vsque ad diem mor-*  
*tis sue. Ita Rabfaces dux militiæ regis Assy-* 4. Reg. 18.  
*riorum, qui primùm de populo Dei, deinde* 19.  
*de ipso Deo contemptim locutus ita punitus*  
*est, ut vna nocte in castris eius Assyriorum**

Esther. 3.  
4.

Luc. 18.9.

*centum octoginta millia* occiderentur ab Angelo. Ita Aman Mardocheum despiciens, in ipso patibulo suspensus est, quod Mardocheo exadificauit. Ita Phariseus præ se humilem Publicanum cæterosque homines contemnens, tantum à Deo infra Publicanum deiectus est, quantum supra eum se se extulit. Adeò neminem decet aspernari, & omnes, suo modo conuenit honorare, et si non reuereri: etsi enim superiores inferiores, immò & Deus homines honoret; non tamē eos reueretur, cū nomine reuerentiæ submissio erga alterū, & agnitio tamquam maioris intelligatur.

§. XIV.

*Deum ante omnia colendum atq; honorandum esse.*

14. Quod si omnes honorare oportet, ergo & DEVM, & quidem ante, ac supra omnes. Ille enim est parens, ille præceptor & doctor, ille senior quia æternus, ille animæ nostræ sponsus, ille dominus, ille benefactor; omnium rerum gnarus, ille nos vocat amicos suos, ille magistratus supremus, ille cui omnia sacra consecrantur, ille Sanctus Sanctorum. Habet ergo omnes titulos & causas honoris illi exhibendi, & gloriæ  
in

in illum referenda. Quod quidem Angeli in caelo faciunt, perpetim clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* Neque Angeli tantum, ait enim Ioannes: *Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Hoc omnes beati in caelo facient in omnem aeternitatem. Quod se quoque sperant facturos, quicumque, in hac vita, omnia ad maiorem Dei gloriam, negotia incipiunt, continuant, finiunt. Ille enim ut principium est, ita & finis debet esse omnium bonarum nostrarum actionum: *Ego sum, a. & w. principium & finis, dicit Dominus.* Hinc merito dicitur: *Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius, adorete Dominum in atrio sancto eius,* hoc est, in terra, quae est atrium, e quo Sancti in aulam caelestem intrant. In hoc atrio identidem cantandum est: *O veritas mea, & misericordia mea, Deus meus,*

Isa. 6. 3.

Apoc. 4. 11.

Vide supra, c. 2. §. 9.

Apoc. 1. 8. Psal. 28. 2.

Thom de Kemp. 1. 3. de imit. cap. 40.

N 3

Trini-

Vide supra cap. 4. de gloria Deo danda.

Cap. XI. Cur saepe tam bonis,  
Trinitas beata, tibi soli laus, honor, virtus, &  
gloria, per infinita saeculorum saecula.

C A P V T X I.

Cur non solum malis, sed etiam saepe bonis  
honores negari, vel auferri diuina  
providentia patiatur?

§. I.

Perire honorem, qui indignis tribuitur.



Acilè quisquis honoratur, quiescit, siue dignus sit eo honore, siue indignus: haud ita facilè, cui honor negatur. Itaq; non inscitè He-

Cic. lib. 3.  
Tuscul.  
99.

racleotes Dionysius ad ea disputat, qua apud Homerum Achilles queritur, hoc, ut opinor, modo.

Corq; meum penitus turgescit tristibus iris,  
Cum decore atque omni me orbatum laude  
recordor.

Num manus affecta rectè est, cum in tumore est? aut num quodpiam membrum tumidum aut turgidum non vitiosè se habet? Sic igitur plerumque ægritudine laborant, qui se se vident honore destitutos. Itaq; sanandi sunt. Quamquam non solum ærotant, qui se se vident esse sine honore, sed etiam in vitio est illo